Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31706
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

dicas misericordia dei magna est altissimi est enim patiens redditor. Si deprehensus fuit homo sollicitans fratrem suum. i. si seductor reprehensus fuit decipiens hominem ad peccatum et quasi uendens diabolo. Qui enim peccatum diabolo uendit mundatur. Hic talis digne pene subiciatur. Obserua diligenter ne incurras plagam lepre. i. caue sollicite ne in heresim corruas putrefactione. ne patiaris quod passa est synagoga quam significabat maria leprosa. et extra castra. i. extra ecclesiam eiciaris. Sane cum dicit obserua ne incurras. ostendit propter peccatum hanc infirmitatem hominibus accidere. sicut ozias rex israel. qui cum uoluisset usurpare sacerdotium et sacrificare profanus est lepra. et de templo a sacerdotibus eiectus. Cum repetis rem aliquam a proximo. Hoc iuxta litteram obseruandum est. prohibet enim uiolentiam et commendat mansuetudinem. Sciendum autem quod hec omnia licet allegorice exponantur. tamen ex maiore parte iuxta litteram obseruanda sunt. Non occidentur patres pro filiis. Hoc est quod alibi dicitur. pater non portabit iniquitatem filii. et filius non portabit iniquitatem patris. Nec auferes loco pignoris uidue uestimentum. Vidua est anima que alicui diabolo iuncta fuit. Si quis usa fuit non auferes ab ea fidem quam ueluti uestimentum induit. Cum messueris segetem. Juxta litteram mosaicam docet. allegorice iudeos monet ut cum segetes messuunt. i. cum lege meditari fuerint non inuideant gentibus qui quasi aduene sunt testamentorum dei. si manipulos remanentes hoc est spirituales sensus scripturarum intelligere potuerint. quos illi relinquant capere non ualentes. Per segetes enim et oliuas et uindemiam mystica scripturarum intelligunt. que iudeis negligentibus a gentibus in xpm credentibus recepta sunt. Justitie palmam dabunt. i. victorie palmam dabuntur. ita deus taxat ut quadragenarium numerum non excedat. Quadragenarium minus denario quinquiduo pficiat. et nos in corpore ex. iiii. elementis constamus. Precepta autem per decalogum accipiunt. Jubet quoque ut omne iudicium ut uindicta qua caro nra plectitur. secundum precepta dei agatur. Nec alligabis os bouis tentis in area fruges tuas. Hoc apostolus de doctoribus interpretatur dicens. Numquid de bubus curat deus. an propter nos hec scripta sunt. Debet enim in spe qui arat arare. et qui triturat in spe fructus percipiendi. Precepit quoque ut non alligetur os bouis triturantis. i. ut cibus doctoribus non subtrahatur. sed alatur ab auditoribus ut sufficiat ad opus predicationis. Cum habitauerint fratres simul et ret. frater qui sine libris mortuus est xpc est. dns per diuinitatem. frater autem per carnis suscep